



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Septem Illustrium Virorum Poemata**

**Amstelodami, 1672**

Cùm ad Aram Apostolorum in Vaticano novus Sacerdos primam hostiam  
Deo offerret.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11215**

*Cùm ad Aram Apostolorum in Vaticano novus  
Sacerdos primam hostiam Deo offerret.*

**S**I te falsa graves mortalia corda labores,  
Tactaque non fictâ religione movent,  
Magne Deus, lacrimâque dolor tibi supplice victor  
Iratam exarmat fulmine sæpè manum;  
Respice, meque tuæ trepidantem accumbere mensæ  
Ipse tuâ in sanctum duc penetrare manu.  
Immunem posthac animum servabit ab omni  
Labe Calix, succis qui scatet æthereis.  
Sic mihi fas illinc potare obliviam rerum,  
Quas avido appetiit gutture nostra fitis.  
Si fallo, feriat læsas me fulmen ad aras,  
Nec dantem pœnas pallia sacra tegant.  
Si fallo, subito mihi terra dehiscat hiatu,  
Tuque preces surdâ supplicis aure bibas.  
An violare nefas legem cum quolibet içti  
Fœderis, atque hominum sit mihi sancta fides,  
Pro quâ nil verear Siculis occurrere flammis,  
Et media impavidum pectus in arma ruat;  
Quæ tibi præfenti tactis juravimus aris,  
Ferre leves patiar irrita verba Notos?  
Mox aderis niveum crusti conclusus in orbem,  
Me pavidò arcana ore canente notas:  
At tibi ne grave sit nostris succedere tectis,  
Sint licet innumeris hospita criminibus.  
Quæ genio, & mensis vasa assuevere profanis,  
Sæpè vides aram ponier ante tuam.  
Multa, quibus coleris, cæcis mortalibus olim  
Templa Parætonios exhîbuere Deos,

Forfan & hic cineres servans locus, ossaque magna  
 Heroum, arcano quos habet urna sinu,  
 Vel scelerum addictus pœnis, rudibusve Latinis  
 Infandâ fuerat religione sacer.  
 Hic veteres sisto exuvias novus hospes, ut Inda  
 Surgit odoratis ales ab inferiis.  
 Tristes exuviæ, vitæ miseranda peractæ  
 Effigies, animo luridaque umbra meo!  
 Sic horret maculas, nuper quas exuit, anguis,  
 Atque ipsum infelix terret imago sui.  
 Hei mihi! primævæ faciem, casusque juventæ  
 Dum tuor, & dubiæ cæca pericla viæ,  
 Quo surgunt horrore comæ! quàm frigidus artus  
 Sudor, & occultum permeat ossa gelu!  
 Talis, naufragium passus grave, respicit altum  
 Æquor, & in sicco navita pallet adhuc.  
 Quòd si ille, impatiens inopem traducere vitam,  
 Subducit quassam, restituitque ratem,  
 Tempestate iterùm, & casu doliturus acerbo,  
 Denique Carpathiis præda futurus aquis:  
 Vos ô adeste mihi, Superi, vel tu mihi nigras  
 Injice casuro Mors, precor, æqua manus.  
 Me tantas evectum ad res, tot honoribus auctum  
 Æquo animo juvenem tollere fata feram.  
 Jam mihi, florentes ex quò malè perdimus annos,  
 Ter decimam supra tertia fluxit hyems.  
 Pars igitur vitæ melior, lucisque peracta est;  
 Quamprimùm incipient membra caduca mori.  
 Et jam (me miserum!) procul apparere senecta  
 Incipit, antiquum stipite fulta latus:  
 Hanc Morbi, tristisque Metus, Curæque sequuntur,  
 Quorum agmen claudens Mors quatit atra facem.

Et nunc quòd vivo, quòd spiritus hos regit artus,  
 Munus id, ò Custos Aliger, omne tuum est.  
 Pars ea noctis erat, quâ solvere pectora curis  
 Incipit, & pigro spargere rore sopor;  
 Ecce Quirinalis nec opino murmure tractus  
 Intremittit, hortorum septaque lapsa ruunt.  
 Dumque ruunt, simili ad terram traxere ruinâ  
 Secum unâ stantes è regione domos.  
 Quòd nisi visum esset Superis servare nocentem,  
 Hos ego debueram tunc habitare lares.  
 Sæpius infelix tectum, multùmque poposci,  
 Nemo & poscenti dixerat: Æqua pete.  
 Non tamen exiguos exoravere penates,  
 Aptâ vel æratâ verba movere fores.  
 Quique omni facilis fuerat mihi tempore, durum  
 Hac in re sensi, difficilemque virum.  
 Ergò ut visa loci facies, disjectaque saxa,  
 Dirigui: cecidit vox, steteruntque comæ.  
 Nam mihi sum visus pars illius esse ruinâ,  
 Et dici à populo prætereunte miser.  
 Tum mihi visa parens cadere exanimata dolore;  
 Mox hæc singultus inter anhela loqui:  
 Hæc igitur de te miseram sperare jubebat  
 De rebus toties fama secunda tuis?  
 Tunc jaces subitâ discerptus, nate, ruinâ,  
 Quem suevi columen sæpè vocare meum?  
 Sancta, quid in vestras tantùm commisimus aras,  
 O mihi perpetuâ Numina culta prece?  
 Nate jaces? nec te genitrix deserta videbit  
 Ampliùs? ah diro funere rapte mihi!  
 Scilicet hoc magnis est inclarescere factis:  
 Huc te mortalis gloriæ adegit amor,

Nonne fuit fatius vota inter cara tuorum  
 Ignotum patrio consenuisse lare ?  
 Quod si tollere te juvenem , mediumque secare  
 Debuerat vitæ stamen acerba dies ;  
 Ipsa tibi saltem clausissem lumina : saltem  
 Venisses oculis lætior umbra meis.  
 Infelix ! & adhuc vivo tibi , nate , superstes ?  
 Et meus , ut moriar , non habet arma dolor ?  
 Hæc super extincto sudisset perdita nato ,  
 Quæque solent matres dicere verba piæ.  
 Interea Superis tanto pro munere grates ,  
 Debitaque æterno solvere vota Deo  
 Attonitus casu meditabar. Cetera nosti  
 O Loiolææ gentis , Oliva , decus.  
 Tu , quem acri ingenio , & laudis nullius egentem  
 Ipsa suo Pietas imbuit eloquio ,  
 Jussit & augusti moderantem frena theatri,  
 Ad templi Proceres ignea verba loqui.  
 Tu mihi cælestes monitus , & dicta reportas :  
 Hæc ego jam miles , te duce , castra sequor.  
 Te duce monstra Erebi vici , nexusque resolvit ;  
 Fas est victorem ferre trophæa Jovi.  
 Irarum fibræ , fractique Cupidinis arcus ,  
 Pendebunt sancto Teiaque plectra tholo.  
 Jam mihi , quò tenues umbras , & cæca viarum  
 Dispiciam , præfert lampada Dius Amor.  
 Ille suas etiam nobis accommodat alas ,  
 Unde humili possim me quoque tollere humo ;  
 Ireque trans cæli metas æterna tuentem  
 Gaudia , mortali non referenda sono.  
 Quòd me siqua trahent terræ contagia , siqua  
 Subjiciet cordi dira cupido faces ;

Te, CHRISTE, amplectar, lacrimisque tepentia supplex  
 Figam sacratis oscula vulneribus.  
 Illa dies subeat, quâ te Judæa per omnes  
 Traductum pœnas extulit exanimum :  
 Cùm medio Phœbus defecit in æthere, & ipsum  
 Fœdavit tenebris nox adoperta caput :  
 Seu totum involvit nigrâ formidine mundum ;  
 Seu tantùm vultus, impia terra, tuos.  
 Impia, quandoquidem robur fatale tulisti,  
 Unde Sator rerum triste pependit onus.  
 Tunc refers spinas, tibi qui dat poma benignus,  
 Et gravidas vites, & fata læta facit ?  
 Tunc tuis ferrum fovisti immane latebris,  
 Divinum potuit quod penetrare latus ?  
 Et meritò, scelerum tantorum conscia tellus,  
 Indigno vivis subdita servitio :  
 Jordanesque (nefas) facer ille argenteus amnis,  
 Et Silois collo turpia vincla gerunt.  
 Quodque nefas auget, tumulo, qui vicit Avernum,  
 Obscœni insultant, Thracia turba, canes.  
 Heu pudor Hesperia, sæclique infamia nostri !  
 Degener à proavis tuque juvena tuis !  
 Scilicet æternis Europam involvere bellis,  
 Urereque immeritos gloria major agros.  
 Intereà miseris Pax suspirata colonis  
 Exulat, & Latium vix tenet ægra suam.  
 Ter sedare faces belli conata ; ter illi  
 Absumsit pennas bellica flamma sacras.  
 Hinc meritò luget, nec adhuc se candida Virgo  
 Audet ALEXANDRI proripere è gremio ;  
 Quò Christi pariter signatas nomine gentes  
 Mittat in æternæ fœdus amicitiaë :

Armaque bellantūm civilia vertat & iras  
 Threïciæ tandem gentis in excidium.  
 Nunc quando alternas in clades armat Erynnis  
 Christiadūm, oblitā relligione, manus;  
 Nec Venetis longo fractis certamine quisquam  
 Audet ALEXANDRUM ferre secutus opem:  
 Tu, Melite, Odryfio nomen fatale Tyranno,  
 I celer, & Latiis puppibus adde tuas.  
 Hellepontiacas audax invade procellas,  
 Infer & Euxino candida signa mari.  
 Barbaricos latè ferro lustrate recessus,  
 Et Scythicā puppes clade referte graves.  
 I, decus Europæ, pubes assueta triumphis:  
 Gloria vos illuc non moritura vocat.  
 Placati nobis invertent Thracibus Euri  
 Æquor, & in Syrtes impia vela ferent.  
 Auspice ALEXANDRO solvat pia litore classis:  
 Fuderit hæc hostem, fundet ut ILLE preces.

I N

P H I L O M A T H I S  
 M U S A S J U V E N I L E S.

**T**Andem pudori pone modum tuo  
 Falsusque vultus exere. Tu licet  
 Et nomen occultes & ortus,  
 Dicere quem prohibebis: *Hic est?*  
 Laus una vatum nomina fortium  
 Flectente Ditem tollere barbitō  
 Ab jure Parcarum; sed ipsos  
 Musa mori vetat æqua vates.

F 3

Te